

www.e-rara.ch

**Purpura Docta, Seu Vitæ, Legationes, Res Gestæ, Obitus, Aliaque Scitu,
ac Memoratu Digna, &c. S.R.E. Cardinalium, Qui Ingenio, Doctrina,
Eruditione, Scriptis, Libris editis, & Elucubrationibus ...**

Eggs, Georg Joseph von

Francofurti, Anno MDCCX

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-74380>

Anno 1288.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

set: subito prostratus morbo, die decima Augusti anno 1309. Collegii Decanus obiit Avenione, sepultus ad Patres Dominicanos. Ex testamento supra centum aureorum millia piis locis, in Religiosorum Claustralium, & Christi pauperum subsidium reliquit. Singulas Urbis Paræcias calice argento unius libræ, Cardinalium quemlibet annulo aureo; ipsum verò Pontificem ingentis pretii cruce, ex auro gemmisque confecta, donavit. Monasterio S. Syxti plurima prædia, ac in paratis duodecim aureorum millia eo fine legavit, ut deinceps supra ordinarium numerum, aliæ quindecim nobiles Virgines alerentur ad pietatem, & castimoniam.

Obitus ejus, & munificentiæ in varios.

Fuisse Joannem, virum pium, ac doctum vel ex eò constat, quòd præter eum Honorius IV. rigorosissimus hominum æstimator, nullum alium purpurâ ornaverit. Ea de re sæpius interpellatus, & quæsitus respondit: *Viros dumtaxat bonos, virtutibus ac doctrinâ conspicuos; rerumq; humanarum ignaros & contemptores, intra Sacri Collegii septa cooptandos esse.* Scripsit nonnulla pia & utilia Opuscula, quæ tamen publicæ luci hætenus denegata, inter manuscripta Bibliothecæ Vaticanæ asservari dicuntur.

Commendatur à doctrina.

Notabile dictum Honorii IV.

Scripta Joannis.

Ejus mentionem faciunt Parvinius, Ciaconius, Joannes Aloysius Lellus in Histor. Montis Regalis. Odericus Raynaldus Tomo 14. Annalium. Trithemius in Chronico Hirsaug. Annales Colmarienses. Francis. Maria Turrigius in Historia Imaginis B. Mariæ Virg. Binius in Conciliis. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONT. MAXIMO.

De

MATTÆO AQUASPARTANO

S. R. E. CARDINALE.

MATTHÆUS de Aquasparta, ab Oppido patrio sic nominatus, Tudertinæ Diocesis, Italus, ab ineunte ætate in Monasterio Provinciæ Umbriæ Minorum S. Francisci Ordinem ingressus, ob doctrinæ & vitæ præstantiam per omnes honorem gradus ex sacri Palatii Lectore ad sui Ordinis Generalatum ascendit, electus Montispeffuli in locum Arloti de Prato, anno 1287. vitâ functi. Hunc Nicolaus IV. ob spectabilem vitæ rationem, ac doctrinæ eminentiam Presbyteris Cardinalibus Titulo S. Laurentii in Damaso, in prima Cardinalium creatione adscripsit; eundemque in secunda Episcopum Portuensem nominavit; noluitque, ut Religionis curam deponeret, sed eam, ad exemplum D. Bonaventuræ, usque ad novi Ministri Generalis electionem moderaretur. Quo tempore libellum famosum, à Fr. Nicolao Franciæ Ministro contra declarationem Regulæ Minorum à Nicolao III. factam, editum rejecit; atque in auctorem severa animadversione, ad terrorem aliorum, est usus.

II.
Ordinis Minorum Minister Generalis eligitur.

Cardinalis Episcopus Portuensis creatur.

Famosum libellum Franciæ Ministri rejecit.

Anno 1289. indixit Generalia totius Ordinis Comitia Assisii pro Successiore deligendo circa Festum Pentecostes: quibus Reate de-

*Renunciat
Generalatui
Minorum, &
Successorem
cum aliis
eligit.*

*Regimen ejus
à Luca Wad-
dingo & Dā-
te Poëta per-
stringitur.*

*Legationibus
variis egre-
giè, & cum
emolumentò
Ecclesiæ per-
fungitur.*

*Episcopum
Aretinum
corripit, &
deponit.*

*Legatur in
Hetruriam
ad sedandos
tumultus Flo-
rentiæ à sedi-
tiosis exortos.*

inde celebratis interfuit ipse Romanus Pontifex, Cardinalis Benti-
venga Episcopus Albanensis, ac Matthæus Aquaspartanus Cardina-
lis, ubi comunibus suffragiis electus est Generalis Minister Fr. Ray-
mundus Gaufredi, Gallus, vir vitæ sanctimonia illustris.

Non parum nocuit (teste Luca Waddingo) Minorum Ordini
regimen Aquaspartani; *non quòd ipse malus fuerit, (utor illius verbis)
aut malè præceperit; sed quòd eo mitius & laxius agente, paulatim attenuata
sit regularis observantia. Compatiebatur omnibus; nullum querulum, sed cun-
ctis satisfactum volebat. Omnium condescendebat votis absque prævio examine
an expediret? auxit malum, quòd Cardinalis factus, nec ut oportuit, atten-
dere potuit ad Ordinis gubernium; nec ausus est ad arctiora cogere, dum sua-
viorem, ipse Princeps post Cardinalatum, vivendi formam præferret.* Dan-
tes Aligerius, celebris illius ævi Poëta, Hetrusco carmine laxioris
habenæ hujus Aquaspartani, & corruptæ sub eo disciplinæ memi-
nit in fine Cantici duodecimi de Paradyso. Quamvis Christopho-
rus Landinus ejusdem interpres, quam Dantes reprehendit in Aqua-
spartano Regulæ dissolutionem; ille affigat Ubertino Casali, quem
etiam ex errore, nescio ubi hausto, Ministrum Generalem Ordinis
Minorum fuisse scribit.

Bonifacius VIII. Romanus Pontifex Matthæum anno salutis
1294. Legatum destinavit in Galliam Cisalpinam, ea potissimum
de causâ, ut Cesenam, Forolivium, Faventiam, & Forum-Corne-
lii, quæ Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ imperia detrectabant, ad
obsequium & obedientiam reduceret. Ille perlustratâ Provinciâ
contulit se Bononiam, ubi pacatis rebus, cum inde Ravennam re-
diisset, omnes convocavit Provinciæ Magistratus & Proceres, ac
sexto decimo Kalend. Martii eo loco (cui vulgi vocabulo *Canazofia*
nomen est) in Ravennatum ac Faventinorum finibus conventum
habuit, in quo ita sobriè, prudenterque cum Principibus se gessit,
ut illi plurima loca hætenus controversa Ecclesiæ & Pontificis Ro-
mani Imperio restituerint. Ejusdem Bonifacii jussu in hac ipsâ le-
gatione, propositis maximis Indulgentiarum præmiis, fideles ad
Crucem induendam incitavit contra illos, qui Romanum Pontifi-
cem injuriis ac molestiis afficiebant. Jacobum insuper Paganum
Episcopum Aretinum, ob malè ibidem administratam Provinciam,
Episcopali dignitate ad tempus privavit; ac denique, cum resipiscere
nollet, episcopatu poenitus amovit.

Cum autem seditionibus duarum factionum, quarum alterius
sequaces *Nigri; Albi* alii dicebantur, Hetruria poenè tota infecta esset,
Bonifacius, ut malis occurreret, Matthæum Aquaspartanum Por-
tuensem Episcopum Cardinalem (quem Joannes Villanus, eumque
secutus S. Antoninus *Ostiensem* per errorem vocant) Legatum in He-
truriam cum amplissima potestate misit. Florentiæ anno salutis
1300. mensè Julio allapsus, magnis certatim honoribus, & obse-
quiis susceptus est. At cum temperando Urbis statui animum par-
tiali nimium studio applicare cœpisset; novis identidem exortis o-
diis & dissensionibus, adversas factionum voluntates expertus, eas
nec sedare, nec conciliare potuit. Imò ob affectum in unam partem,
cum alteri in suspensionem venisset, coactus est (factionis nescio quid
vio-

violentum minitantibus) Florentiâ rebus infectis exire: quam ipse vicissim irâ percitus, à fidelium communione, religionis intentato telo, submovit: atque adeò suboffensus rediit ad Curiam, ubi nunquam vacans à studiis, quibus ad mortem usque deditissimus erat, scripsit:

Florentiâ excedere rebus infectis compellitur.

Commentaria in Job.

Postillas in Psalmos.

Scripta ejus.

Expositiones in Epistolas D. Pauli.

In 4. libros Sententiarum.

Quæstiones Quodlibeticas.

Pentiloquium de Potentia Papæ.

Sermones varios.

Inventarium Sententiarum.

Indices per seriem litterarum in eosdem libros sententiarum.

Paulus Cortesius Matthæi doctrinam admirans, hæc ad posteros de eo transmisit. *Matthæus Aquaspartanus laudandus: à quo sunt Theologica Paradoxa explicata cultius, quam esset ab inquinata illius ætatis equalitate repositum.* Syxtus verò Senensis in sua Bibliotheca sancta eundem hõc (ex Trithemio mutuato) exornat elogio. *Matthæus de Aquasparta Ordinis Minorum duodecimus Generalis, & postea Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis in seculari Philosophia juxta morem sui temporis magnificè doctus, & in divinis scripturis excellentissimus.* Sunt & alii, qui eundem, ob summam scientiarum cognitionem, miris laudibus efferunt. Protector Ordinis Servorum B. Mariæ Virg. à Nicolao IV. designatus, sanctum illud institutum semper promovit, virosque illius familiæ unicè dilexit.

Laudatur à Paulo Cortesio, & aliis.

Claudit diem supremum, meritorum plenus, moderante Ecclesiam Bonifacio VIII. Anno salutis 1302. Romæ: ubi in Ecclesia Seraphica de Ara Cœli, nobili donatus monumento, quiescit. Ex asse hæredem instituit Monasterium suum Tuderti, à S. Fortunato nuncupatum, ad executionem Testamenti nominatis Matthæo Ursino, & Gentili de Montefloris, Cardinalibus.

Ejus obitus.

Ejus mentionem faciunt Lucas Waddingus in Annal. Min. & de Scriptoribus Min. Odericus Raynaldus, & Bzovius in Annal. Trithemius de Script. Eccl. Syxtus Senensis in Biblioth. sancta. Archangelus Gianius. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

HUGONE SEGUINO BILLONIO
S. R. E. CARDINALE.

HUGO Seguinus Billonius, natione Gallus, patriâ Arvernus, professione Monachus, sacrum Prædicatorum Ordinem, (cui à puero addictus, in eoque institutus, & altus fuerat) sexto decimo ætatis anno ingressus, mirum in modum

III.

Archiepiscopus Lugdunensis primò, deinde Cardinalis S. Sabinae, demùm Episcopus Ostiensis creatur.

dum in ea virtutis, & eruditionis palæstrâ profecit. Doctoratûs laureâ post emensa graviorum studiorum curricula donatus, publici lectoris munere functus est aliquamdiu Romæ in Conventu S. Sabinae. Non multò post insignium meritorum intuitu Archipræful Lugdunensis creatus, rexit eam Ecclesiam summa cum integritate usque ad annum 1288. Quo etiam anno à Nicolao IV. recens ad Pontificium assumpto, uberrimo virtutis merito in sacrum Collegium cooptatus titulum S. Sabinae obtinuit. Cœlestinus V. Nicolai successor, eundem in demortui Cardinalis Latini Malabrancae locum provehens, Episcopis postmodum Ostiensibus, & Veliternis adscripsit.

Error quorundam circa Hugonem refellitur.

Referunt aliqui Hugonem aliquamdiù in Ecclesia Lugdunensi Archidiaconum extitisse: At errore hos lapsos quis non videat? Etenim quæ fieri potuit, ut Religiosus solemnibus votis clauastro adstrictus, officio Archidiaconi fungeretur in Ecclesia Cathedrali? cum id præfertim & inusitatum esset & inconcessum, tum ex statutis Cathedralium; tum ex Ordinis legibus; tum ex ipsis sacrorum Canonum Decretis. Neque etiam ante emissâ Religionis vota ejusmodi dignitate ornatus fuisse putandus est, cum certò constet eum poenè impuberem, Ordinem D. Dominici ingressum.

Scripta ejus, & obitus.

Cum verò vir eruditissimus esset, plurima ad Theologicam facultatem spectantia, quam annis multis solidè interpretatus est, in lucem edidit: videlicet;

Commentaria in Threnos Jeremiæ.

In quatuor libros Sententiarum.

De immediata Visione divinæ Essentiæ.

Contra Corruptorium D. Thomæ Aquinatis.

Sermones plures, & alia.

Interfuit creationibus Cœlestini V. & Bonifacii VIII. Excessit vitâ non absque sanctitatis opinione in Urbe tertio Kalend. Januarii Anno Virginei partûs 1297. Sedente in Petri Cathedra Bonifacio VIII. qui viduatam Hugonis obitu Ecclesiam Ostiensem & Veliternensem Fr. Nicolao Bocalino, ejusdem Ordinis Alumno, commisit. Quare meritò rejiciuntur illi, qui Hugonis exitum ad annum 1328. prorogant. Nam intermedio hoc tempore tres, aut quatuor diversos Episcopos Ecclesiam Ostiensem rexisse constat ex actis. Sepultus est Hugo in Titulo S. Sabinae ante aram maximam, ubi ejus adhuc Epitaphium, sed incultum, ac ideo à me omissum, legitur.

Meminere ejus Panvinius de Rom. Pontif. Petrus Frizonius in Gallia Purp. Antonius Senensis in Biblioth. Prædicatorum. Chronicon Ordinis Prædicat. Nomenclator Cardinalium. Ughellius tomo I. Italiae sacrae. & Alii.

ANNO

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

NEAPOLEONE URSINO
S.R.E. CARDINALE.

NEAPOLEO Ursinus, nobilis Romanus, ex Canonico Parisiensi, ac Pontifici Sacelli Sacerdote à Nicolao IV. ob excellentis doctrinæ famam Apostolici primò Scrinii Magister, deinde Cardinalis Diaconus S. Hadriani renunciatus, literis ac legationibus, quod vixit, inclaruit. Primo enim Nicolai jussu in Umbria; eoque sublato, Bonifacii VIII. auctoritate in Sabina, Piceno, totoque S. Petri Patrimonio legationis munere perquam strenuè functus est. Eundem postea Clemens V. anno reparatæ salutis 1306. ad Provincias Tusciæ, Romandiolæ, Marchiæ Tarvisinæ, Patriarchatum Aquileiensem, & Gradensem Archiepiscopatum, Provinciam Ravennatem, Ferrariam civitatem, Archiepiscopatum Januensem; ad Insulas quoque Sardinjæ & Corsicæ, ac Venetorum dominium Legatum destinavit, ut seditiosis tumultibus, ab Albis & Nigris temerè excitatis finem imponeret, ac Italiam intestinis odiis flagrantem fœdeque concussam pacaret, atque Insulas illas ab infestis Pisanorum excursionibus, oppositis armis, vindicaret.

IV.

*Cardinalis
creatus variis
Legationibus
perfungitur.*

Is ad quintum Kalendas Majas Bononiam se conferens, inuitato hætenus exemplo, in suum ac familiæ sumptum, annum stipendium Archiepiscopo Ravennati, cæterisque sacris viris civitatis & Diocesis, etiam immunibus, imposuit. Ex quo cum graves tumultus in Legatum à querulo Clero concitati essent, nec facile, nisi rescisso decreto, sopiri possent: Legatus ab exactione destitit.

*Bononiae indi-
ctas exactiones
remittere
cogitur.*

Cæterum cum Pacificatoris munus aggressus, concordiam, multis dilaudatam, inter Bononienses conciliare studeret; nec quidquam per oppositam Marchionis Senatoris factionem assequeretur; ad extremum à maleferiatis quibusdam civibus (quibus ex instinctu Marchionis ira cum audacia creverat) contra jus gentium violatus fuit. Ad decimum enim Kalendas Junii ad Episcopales aedes, in quibus hospes diverterat, armati accurrentes, clamore terribili excitato proditorem Legatum appellantes, ut quamprimùm moreretur, contendebant. Jam fores Palatii admotis machinis efferegerant, cum ecce Bernardinus Polentanus Prætor, vir strenuus & fidelis accurrit, ac Proceribus factiosis benignè rejectis tumultum sedavit; armatosque oppositis armis secedere jussit. Non tamen furorem, quo mortaliter flagrabant, ita extinguere potuit, quin eum in Neapoleonem Bononiâ mentito habitu discedentem, effunderent: nam eo ad Forum-Cornelii per devia & invia properante, aliqui ex Urbe erumpentes, cognitâ ex mulorum stragulis ejus

*Ibidem à factiosis male
habetur, violatur, vellitur
& spoliatur.*

Hh

sup-

suppellectili, mulis ac mulionibus interfectis, sarcinas omnes diripuerunt. Legatus, mutatis sæpius equis, vix fugâ dilapsus, ad Forum-Cornelii deveniens, justâ irâ ob illatam contumeliam percussus, Bononienses ignominia & prodicionis auctores, anathemate percussit; Urbemque sacris interdictam Academia, honoribus, ac privilegiis privavit.

*Scripta ejus
& obitus.*

Ipse interim, omissis legationibus, studiis vacans varia scripsit cum ascetica, tum Theologica opera, à Paulo Cortesio multum dilaudata. Edidit præterea vitam ac miracula B. Claræ de Montefalco, cujus exemplaria extant in diversis Bibliothecis, nimirum S. Augustini de Urbe, S. Mariæ de Vallicella, & in monasterio de Montefalco. Miracula etiam B. Margareta Cortonensis jussu Romani Pontificis perquisivit, & approbavit. Vixit in Cardinalatu, raro exemplo, sexaginta & amplius annos postquam septem Romanorum Pontificum electionibus suo suffragio interfuisset: ac tribus eorum pontificiam Thiaram suis ipse manibus imposuisset. Tandem plenus dierum, nonagenario major è vita excessit Avenione anno à partu Virginis 1347. sedente in Petri folio Clemente hujus nominis sexto. Tumulatus est ibidem in sacello ab se sepulchri causâ constructo: ubi elogium ab se compositum in marmorea tabula etiamnum spectatur.

*En ego Napoleon summi qui culmen honoris
Attigeram, modico subtegor hoc tumulo.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Bzovius in Annal. Ponponius Vizanus in hist. Bononiensi. Jo: Baptista Piergili in Vita B. Claræ de monte falco. Lucas Waddingus in Annal. Min. Franciscus Sansovinus de familia Ursina. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONTIF. MAX.

De

THEOBALDO STAMPENSI S.R.E. CARDINALE.

V.

THEOBALDUS Stampensis obscuro genere & loco ad Albim annem in Anglia natus, ingentem ac propè ferream vim ingenii ad perdiscendas literas attulit, tanto quidem proventu, ut planè imberbis adhuc ludum apud Cantuarienses aperiret. Inde verò congestis ex collecta mercede pecuniis, nobilioris doctrinæ cupiditate incensus, Galliam, Germaniam, totamque Italiam eruditâ curiositate peragravit. Romam deinceps scientiarum omnium, ac artium Palæstram delatus, Nicolaum IV. non modò excelsi sui ingenii admiratorem, sed & munificum præmiatorem sortitus, ab eodem sub annum Christi 1288. uberrimæ virtutis merito, in sacrum Purpuratorum Senatam titulo Presbyteri S. Sabinæ cooptatus est. Partâ itaque Romæ insigni nominis famâ

*Ob Virtutis,
& doctrinæ
famam Cardinalis à Nicolao IV. creatur.*

famâ, ne literas, quas privatus unicè deperierat, purpuratus fastidire videretur, scripsit peregrinum, utile, ac nervosum Opus, quo temeritatem asserentium, *Christum Dominum S. Petro. ejusq. legitimis* *Ejus egregia scripta.*
Successoribus curam, ac regimen totius Ecclesie non tradidisse, planè prostravisse, ac jugulasse videri potest. Edidit etiam Librum unum adversus errantes in Theologia elegantissimum. Verùm aliquantò nobilior evasit, quum insignem Tractatum variarum Disputationum ad Robertum Capitonem Episcopum Lincolnensem divulgasset, ac Sermones plurimos sacros cum Epistolarum Volumine nitidissimè conscripisset, quibus erudita commentatione magnum Theologiæ studiosis lumen attulisse judicatur, explosis scilicet Sophistarum interpretum ineptiis, quum SS. Patrum placita secutus, certiore utique vestigio niteretur.

Sed vir consilio gravis, ac ob id obeundis Reipublicæ muneribus occupatus, neque satis otii ad studia literarum furari, neque ætatem (quòd tenuissima valetudine uteretur) longissimè proferre potuit. Fato enim functus est Romæ anno à Christo nato 1298. *Obitus ejus.*
 dum à Bonifacio VIII. Legatus in Galliam ulteriorem destinatus, itineri se accingeret. Subdubitant aliqui, an hic unquam inter S. *Dubium circa ejus Cardinalis natus im-*
 R. E. Cardinales à Nicolao IV. cooptatus fuerit, eò quòd nulla ejus *probatur.*
 apud Panvinium, & Auberium mentio extet. Verùm gemino duorum horum Authorum dumtaxat initi velle testimonio, rejectis cæteris, qui eum Cardinalem asseveranter agnoscunt, meo quidem judicio temerarium videtur: præsertim quod constet, utrumque hunc Scriptorem sæpius in sua crisi errasse.

Ejus mentionem faciunt Catalogus Scriptorum Angliæ. Nomenclator Cardinalium. Ferdinandus Ughellius, & Augustinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1294.

SEDENTE COELESTINO V. PONT. MAXIMO.

De

SIMONE DE BELLOLOCO

S. R. E. CARDINALE.

SIMON de Bello-loco, à Gallis *de Beau-lieu* nuncupatus, ortum habuit ex nobili prosapia in Bria Provincia. Is cum esset Ecclesiæ Bituricensis, & S. Martini Turonensis Canonicus; quin & Archidiaconus Carnotensis, spretis pinguioris fortunæ obsequiis, Deo se totum in religiosam servitutem, monachus Cisterciensis factus, dicavit. VI.
 Successu temporis, meritis ac suffragiis exigentibus, Abbas electus, celebre monasterium (dictum *de Charitate*) Diocesis Bisuntinæ in Burgundiæ comitatu summa prudentia, & vitæ sanctitate rexit. Non tamen diu in claustro vixit, utpote ad Archiepiscopatum Bituricensem omnium votis assumptus: in cujus exordio Philippi Audacis, Perpiniani vitæ functi, regium corpus decimo quinto Octobris anno reparatæ salutis 1285. excepit: *Monachus Cisterciensis, & Abbas factus ad Insulam primò Bituricensem, dein de ad Purpuram assumitur.*

Hh 2

cadaver